

dem accessorium naturam sequitur principalis, ut jam dictum, n. 100.

104. *Et on valeant gesta tunc a vicario ignorante mortem, etc., episcopi longe distantis?* — Verum, quod his non obstantibus valeant gesta tunc a vicario ignorante mortem episcopi longe distantis, dummodo hæc non a solo vicario, sed etiam communiter ab aliis ignoretur, recte observat Sanchez, lib. III, de *Matrim.* disp. 22, n. 29; Sperellus, decis. 30, *Fori ecclesiast.* n. 3, citans Rotam decis. 4, alias 47, de *Offic. vicarii*, in nov. et Barbosa cit. allegat. 54, n. 152, allegans alios: quia videlicet error communis jus facit, tribuitque vicario illi jurisdictionem, ut l. *Barbarius*. ff. de *Offic. prætor.*

105. *IV. Suspensa episcopi jurisdictione per excommunicationem, suspensionem, aut interdictum.* — IV. Et ob allatam, n. 99 rationem, si episcopi jurisdictio fuerit suspensa, seu impedita per excommunicationem, suspensionem, aut interdictum; eo ipso etiam suspenditur, ac impeditur jurisdictio sui vicarii generalis: quia videlicet est eadem jurisdictio, et tribunal utriusque, simulque accessorium sequitur naturam principalis. Glossa communiter recepta in cap. 1, §. *Ipsius*. h. t. in 6. bene subjungens, quod tunc sit adendum Papa, ut provideat. Concordant dicta superius tit. X, de *Supplenda negligentia prælatorum*, § 2, n. 36 et seqq.

106. *V. Episcopo ab hostibus capto.* — V. Officium vicarii generalis cessat episcopo ab hostibus capto. Quia tunc episcopus censetur civiliter mortuus; ac proinde capitulum, ac si sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus et temporalibus ministrare debet; ut c. *Si Episcopus*, 3. de *Supplend. neglig. prælat.* in 6; Fagnanus c. *Per tuas*, il. 4, n. 21, de *Simonia*, citans Geminianum in d. c. *Si Episcopus*.

107. *VI. Et per revocationem.* — VI. Tandem finitur potestas, et officium vicarii generalis per revocationem. Ita Glossa in *Clem. Et si principalis*, 2. §. *Per electionem. de Rescript.* ibi: « De Officiali, quem episcopus ad nutum amovere potest. » Rebuffus in *Praxi benefic.*, tit. *Forma vicariatus*, n. 224; Barbosa cit. alleg. 54, n. 145; Pirhing h. t. n. 73; Engel, eod. tit. n. 11, et alii passim. Siquidem

108. *Vicarius generalis ad libitum episcopi potest revocari.* — Vicarius generalis non est intitulatus in officio suo; ideoque ad libitum episcopi revocari potest, ut tradunt citati

doctores. Accedit, quod vicarius generalis, licet consequatur suam jurisdictionem a jure, eam tamen non consequitur nisi mediante nominatione episcopi: atqui hanc potest revocare episcopus, juxta c. *Omnis*, de reg. jur. ibi: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur; ergo et illam, ut jam dictum n. 97. Nam sublato antecedente, necessario tollitur et consequens. »

109. *Disparitas inter ipsum et vicarium perpetuum in divinis.* — Nec obstat quod vicarius perpetuus quoad divina in aliqua parochia constitutus, non possit ad libitum revocari, vel amoveri. Resp. enim disparitatem esse: quia talis vere est intitulatus, atque investitus in Ecclesia, cujus perpetuam vicariam habet; non sic vicarius generalis.

110. *An capitulum sede vacante possit revocare vicarium a se constitutum?* — Nota tamen, quod vicarius episcopi ad beneplacitum possit revocari; et quidem valide, etiamsi is jurasset non revocare, licet si hoc faceret absque justa causa excusante, reatum perjurii incurreret. Fagnanus c. *His quæ*, n. 71. de *Major. et obed.* Nihilominus capitulum sede vacante, facta semel electione vicarii, non possit illum ad libitum revocare, et novum constituere. Et ita a sac. Congregat. episcoporum fuisse responsum, refert Barbosa cit. alleg. 64, n. 171; ac Fagnanus, cit. n. 71. Fatendum tamen, quod idem Fagnanus, loc. cit. n. 69, ac etiam Nicol. Garcias part. V, cap. vii, n. 23. § *Quinta*, aliam ejusdem sac. Congregationis declarationem allegat, vi cujus capitulum potest ad libitum revocare vicarium, alias ab ipso electum, seu confirmatum; dummodo intra octo dies alium constituat. Quæ declaratio, si revera emanavit, ut concordetur cum altera priori, videtur intelligenda, quando subest gravis causa: alias secus. (ADNOTATIO, LXIII.)

111. *Qua ratione Sede vacante resideat jurisdictio penes capitulum, et vicarium ab ipso constitutum?* — Pro coronide nota, quod vacante episcopatu jurisdictio principaliter quidem resideat penes capitulum: nihilominus exercitium ejus, jure sic disponente, existat penes vicarium ab eodem deputatum. Anton. Flaminius Marchettus in *Praxi vicarii capitularis*, part. I, tit. II, n. 4, post. Quarantam in *Summa Bullarum*, §. *Capitulum Sede vacante*, n. 4, estque jam dictum supra tit. XI, de *Temporibus ordinationum*: § 5, n. 123. Atqui dicti vicarii jurisdictio tanta est, quanta ip-

sius capituli sede vacante, nisi quid specialiter fuerit exceptum; prout liquet ex forma, seu instrumento vicariatus capitularis, quam refert Barbosa, part. III, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 54, n. 159, post. Quarantam in cit. *Summa Bullarum*, §. *Capitulum Sede vacante*. (ADNOTATIO LXIV.)

112. *An tunc capitulum possit eligere visitatorem ad visitandam diocesin, aut vicario absente alium substituere?* — Unde, quod capitulum sede vacante absque vicario jam constituto, non possit eligere visitatorem ad visitandam diocesin, a sac. Congregatione decisum fuit, ut ait Nicol. Garcias, part. V, de *Beneficiis*, cap. vii, n. 23, § *Septima*. Qui ibidem § *Sexta* pariter decisum refert, quod ad vicarium spectet, propter suam absentiam alterius substitutionem facere. Concordat Fagnanus, loc. cit., n. 73 et seqq. ubi has ipsas decisiones allegat.

TITULUS XXIX.

De officio et potestate Judicis delegati.

1. *Ratio continuationis titularum. Delegatus Papæ est major quolibet ordinario quoad causam sibi commissam.* — Sequentes tituli hujus primi libri decretalium versantur præcipue circa forum contentiosum et continent præparatoria judiciorum; ut ait Zoësius, h. t. n. 1. Quia vero in judiciis primo quaeritur de iudice, qui vel est ordinarius, vel delegatus; idcirco de hoc tractatur in præsentis titulo, de illo vero postea. Nec immerito prius agitur de delegato, quam de ordinario: siquidem delegatus Papæ est major quolibet ordinario saltem quoad causam sibi commissam; eo quod circa hanc gerat vices Papæ, ejusque personam representet, prout habetur in c. *Sane quia*, 11, h. t. Ut autem præsens materia una cum aliis coherentibus, et subsequentibus, melius intelligatur, præpretium erit, jurisdictionem ut sic et varias ejus divisiones præmittere. Hinc sit

§ I.

DE JURISDICTIONE UT SIC, ET VARIIS EJUS DIVISIONIBUS.

2. *Jurisdictio quid?* — Quaeritur I. Quid sit jurisdictio? Juristæ plerique solent cum

Glossa in l. 1. de *Jurisdict. omn. judic.* § *Potest.* jurisdictionem in genere sic definire, dicendo, « Jurisdictio est potestas de publico introducta cum necessitate juris dicendi, et æquitalis statuendæ. » Verum, quia hæc definitio non convenit jurisdictioni ecclesiasticæ, utpote quæ non de publico, hoc est, non auctoritate reipublicæ, sed immediate a Deo seu Christo Domino introducta fuit, c. *Solite*. 6. de *Major. et obed.* cum concordantiis; et de qua potissimum nobis est sermo: hinc magis generaliter, ac melius loquendo,

3. *Jurisdictio quid?* — Resp. I. *Jurisdictio* est potestas publica juris dicendi. Ita desumitur ex l. 1. § *Damus*, ff. de *Suspectis tutoribus*. ubi jurisdictio appellatur *Officium juris dicendi*. Jurisdictio siquidem a jure dicendi, sive sententia secundum æquitatem, jurisque regulas ferenda, tanquam præcipuo publicæ potestatis officio, dicta fuit. Vel, si placet magis, generalem, atque omnes jurisdictionis actus sub se comprehendentem definitionem ponere, dicas cum Pirhing tit. de *Offic. judic. ordin.* n. 1. et aliis: « Jurisdictio est potestas publica circa aliorum regimen, seu gubernationem. »

4. *Dicitur potestas publica, et cur?* — Dicitur notanter, *Potestas publica*, ad excludendam videlicet eam potestatem, seu auctoritatem, quam habet maritus in conjugem, pater in filium, dominus in servum, magister in discipulum, et tutor in pupillum. Hæc enim non est jurisdictio proprie dicta, cum magis ad domesticam, seu œconomicam ac privatam, quam ad publicam gubernationem spectet.

5. *Item potestas jurisdictionis.* — Et additur *Potestas*. Sumitur enim hic jurisdictio, non pro actu, seu exercitio jurisdictionis; sed pro facultate, ac potentia eam exercendi: unde alio nomine appellatur *Potestas jurisdictionis* (ad differentiam *Potestatis ordinis*, quæ clericis confertur per sacros ordines) et qui illam habent, dicuntur *Potestates publicæ*.

6. *Actus potestatis publicæ qui?* — Hujus autem potestatis publicæ actus sunt, sententiam ferre ac delinire, quid jus et æquitas contineat; item præcipere, prohibere, punire, leges ferre, in his dispensare: quinimo universim omnis ille actus jurisdictionis esse censetur, qui a superiore ex publico munere ac potestate in subditos, sive quatenus publica persona est, exercetur. Et hoc denotatur per alia verba, in posteriori definitione jurisdictionis posita, ibi: « Circa aliorum regimen, seu gubernationem. »

7. *Jurisdictio ecclesiastica, et civilis, seu politica, quæ?* Quæritur II. Quomodo generatim dividatur jurisdictio? Resp. I. *Jurisdictio humana* (de qua nobis sermo) cum primis dividitur in ecclesiasticam, et civilem. *Ecclesiastica* est, quæ circa causas ad Dei cultum, spiritualesque animarum salutem pertinentes versatur. Et hæc subdividitur in eam, quæ in foro externo; et illam, quæ in foro interno, seu conscientie, et sacramentali exercetur. *Jurisdictio civilis, seu politica* dicitur, quæ circa causas sæculares et profanas versatur, et temporalem reipublicæ gubernationem proxime respicit. Et de hac jurisdictionis divisione procedunt illa, quæ supra tit. *de Constitutionibus*. § 3, n. 49, et seqq. uberius dicta fuerunt agendo de potestate legislativa ecclesiastica, civili, atque origine et differentiis utriusque.

8. *Jurisdictio contentiosa, et voluntaria quid?* Resp. II. *Jurisdictio* ulterius dividitur in voluntariam, et contentiosam; ut L. 2. ff. *de Offic. proconsul.* atque declarat Glossa ibid. §. *Contentiosam*. Atque ex his *Jurisdictio contentiosa* dicitur ea, quæ exercetur in invitum: ut puta, in jus vocando, puniendo, et alia hujusmodi exercendo, quæ expediri non possunt, nisi iudice pro tribunali sedente, seu quando inter duos, pluresque contenditur. arg. l. *Inter stipulantem*, §. 2. ff. *de Verb. obligat.* ibi: «Judicium autem etiam in invitum redditur.» Econtra *Jurisdictio voluntaria* est quæ inter volentes tantum exercetur: atque ad hanc in civilibus spectat manumissio; in ecclesiasticis autem ordinatio, consecratio, collatio beneficiorum, et hujusmodi, juxta dicta superius tit. *de Supplenda negligentia prelatorum*, numer. 7. Et dicitur *voluntaria*, non ex parte magistratus, qui officium suum imploranti semper impertiri debet; sed ex parte illius, qui adit magistratum, petitque tale quid, quod ei suppositis omnibus requisitis concedendum est, quia scilicet nullius alterius contradictione impeditur.

9. *Et in quo differant?* — Differunt hæc duæ jurisdictionis species inter alia ex eo, quod ad exercitium jurisdictionis voluntariæ non requiratur strepitus forensis, nec processus judicialis, neque opus sit iudicem pro tribunali sedere: haud obstante, quod interdum aliqua extrajudicialis cognitio causæ requiratur. Unde etiam hæc valide, et licite exercetur in alieno territorio absque injuria iudicis illius loci: quanquam ad vitandum

scandalum, tollendamque omnem confusionem, plerumque non publice, sed privatim tantum id fieri debeat. Econtra vero jurisdictionis contentiosa exerceri non potest sine processu judiciali; ac proinde extra proprium iudicis territorium, et in alieno, sine expresso vel tacito consensu iudicis illius loci, atque etiam partium litigantium, exerceri nequit: nam «extra territorium jus dicenti, impune non paretur;» prout habetur in c. *Ut animarum. de Constitut.* in 6. cum similibus.

10. *Aliæ jurisdictionis divisiones referuntur.* — Resp. III. *Jurisdictio* rursus dividitur in ordinariam et delegatam: item in jurisdictionem simplicem, et in imperium; sive, ut alii loquuntur, jurisdictioni simplici supervenit imperium, tum mixtum, tum merum. Et quidem

11. *Jurisdictio ordinaria, quæ?* — *Jurisdictio ordinaria*, dicitur ea, quæ cuiquam jure proprio, seu ratione officii, aut dignitatis suæ ex lege, canone, vel consuetudine competit; prout desumitur ex l. *More majorum.* et l. *Et quia*, ff. *de Jurisdic. omn. judic.* ubi is censetur habere jurisdictionem ordinariam, ac delegare posse, «qui eam suo jure, non alieno beneficio habet: secus, si nec principaliter (hoc est, a principe, ut explicat Glossa) ei jurisdictionis data est, nec ipsa lex defert.» Unde Fagnanus in c. *Cum olim*, n. 61. *de Majorit. et obed.* generaliter docet, ac pluribus aliis probat, quod jurisdictionis, quæ defertur a lege, vel statuto, aut quæ datur ad universitatem causarum, sit ordinaria: quanquam hoc ultimum probe sit intelligendum, conformiter dicendis infra § 3. n. 63.

12. *Jurisdictio delegata, quæ?* — *Jurisdictio delegata* econtra est, quam quis non habet jure proprio (hoc est, non ratione sui officii, aut dignitatis a lege, canone, vel consuetudine sibi delatam), sed solum ex commissione alterius, cujus vice fungitur. Atque ad hanc reducitur jurisdictionis mandata, imo hæc cum delegata a nonnullis confunditur. Quod ut melius intelligatur,

13. *Jurisdictio mandata, an differat a delegata?* — Quæritur III. Utrum jurisdictionis mandata differat a delegata? Glossa in L. 1. *de Officio ejus cui mandata*, etc. §. *Qui mandatam*, asserit quosdam velle, quod mandata et delegata jurisdictionis idem sint: pro qua sententia Fachineus, proxime citandus: allegat Decretum in *Rubr.* ff. *de Offic. ejus cui mandata*, et Cagnolam, ac Riminaldum ibidem. Et revera, si nominis significationem attendamus

mandare idem est, ac *demandare*, seu delegare jurisdictionem: unde in jure civili non raro sumuntur pro eodem, uti patebit ex dicendis, n. 17. Verum hoc non obstante

14. *Et in quo?* — Resp. I. Proprie, ac in rigore juris loquendo, jurisdictionis mandata differat a delegata, ex eo quod hæc datur ad causas particulares, illa vero ad universitatem causarum. Ita Glossa, loc. cit., ubi post relatam aliorum opinionem jam memoratam ex propria mente inquit: «jurisdictionem mandari, quando universitas; sed delegari, quando species una committitur: unum tamen pro alio quandoque ponitur.» Hæc Glossa. Idem tenet Covarruvias, lib. III. *Var. resol.* cap. xx. n. 11. post Socinum in L. 1. ult. ff. *Quis, et a quo appelletur*; atque ex proposito resolvit Fachineus, *Controvers. juris* lib. XII, cap. LXIX. per totum, citans alios, et novissime, Engel tit. *de Offic. judic. ordin.* n. 2.

15. *Ratio discriminis.* — Probatur hoc discrimen per diversa juris loca, quæ alioquin absque contradictione conciliari vix possunt. Sic quippe in l. *Cum prætor.* § 1 ff. *de Judiciis*, dicitur: «Is quoque, cui mandata est jurisdictionis, iudicem dare potest.» Econtra iudex datus, seu delegatus inferioris, iudicem dare non potest, text. clar. l. *A iudice*. C. eod. Deinde in eum, cui mandata est jurisdictionis, transit omne officium jus dicentis, ut L. § 1. *Damus*. ff. *de Suspectis tutorib.* At in iudicem delegatum non transit, nisi munus iudicandi, cit. l. *A iudice*, cum similibus. Ulterius ille, cui mandata est jurisdictionis, dicitur habere jurisdictionem, l. *More majorum.* et l. *Et quia*, ff. *de Jurisdic. omn. judic.* Econtra iudex datus, sive delegatus, non habet jurisdictionem, sed cognitionem tantum, l. *Ait prætor.* ff. *de Re judic.* Tacentur alia plura apud Fachineum, loc. cit. videnda.

16. *Jurisdictio mandata proprie accepta coincidit cum delegata ad universitatem causarum.* — Porro in hac rigurosa acceptione jurisdictionis mandata coincidit cum delegata ad universitatem causarum. Ad majorem tamen claritatem ea quandoque appellatur *Mandata generalis jurisdictionis*; ut l. *Cognitio* ff. *de Offic. ejus cui mandata*, etc. et l. *Solet.* et l. *Prætor.* ff. *de Jurisdic. omn. judic.* In quo posteriori loco sic legitur: «Prætor sicut universam jurisdictionem mandare alii potest, ita et in personas certas, vel ad unam speciem potest.»

17. *Sed largius loquendo quandoque confun-*

duntur. — Nec tamen idcirco negatur, quin vocabula illa, *Jurisdictio mandata, et delegata*, quandoque confundantur, ac largius loquendo unum pro alio ponatur; uti notat Glossa, et Covarruvias, ubi supra. Sic accedit in L. 1. §. *Qui mandatam*. ff. *de Offic. ejus cui mandata*, etc. et l. *Cum simus*. C. *Ubi et apud quem*. etc. et alibi, prout ex subjecta materia dignosci potest.

18. *Jurisdictio simplex, quæ?* — Quæritur IV. Quid sit jurisdictionis simplex, ac imperium mixtum, et merum? Resp. I. *Jurisdictio simplex* consistit in sola causarum cognitione, ac decisione absque jure exequendi. Et talem solet habere iudex delegatus, cui datur quidem potestas sententiam ferendi, sed hujus executio deleganti reservatur, L. *A divo Pio*. § 1. ff. *de Re judicata*, et amplius infra, n. 45 et 49, dicitur.

19. *Imperium, quid, et quotuplex?* — Quod si vero iudici competat etiam executio, seu potestas exequendi suam sententiam, ac in reos debita coercitione utendi: tunc is censetur habere *Imperium*. Nam potestas iudicis secundum actum cognoscendi, pronuntian- dique dicitur *Jurisdictio*: secundum actum vero coercendi, vocatur *Imperium*. Engel, tit. *de Officio judicis*. n. 20, post Matthiam Stephani *de Officio judicis*, lib. I. cap. VII, n. 3. Et imperium taliter acceptum subdividitur in mixtum et merum. *Imperium mixtum* consistit in causarum civilium executione, ac medica coercitione: *Imperium merum* autem in coercitione publicorum criminum.

20. *Imperium mixtum, quod?* — Porro imperium mixtum alio nomine dicitur *Jurisdictio bassa seu inferior*, quæ competit cuilibet magistratui, licet non semper quoad omnes actus. Huc spectant interponere auctoritatem manumissioni, vel emancipationi, dare bonorum possessionem, pupillis tutores constituere, imo et modicam coercitionem seu punitionem imponere, dummodo non sit ex pœnis gravioribus illis, quæ spectant ad imperium merum, juxta mox dicenda.

21. *Imperium merum, quod?* — Imperium merum appellatur alio nomine *Jurisdictio alta, seu criminalis*: et describitur in l. *Imperium*. 3. ff. *de Jurisdic. omn. judic.* dicendo: «Merum imperium est habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines.» Ubi per actum magis principalem, describitur imperium merum: siquidem

22. *Tres sunt gradus imperii meri.* — Tres

communiter, juxta jus civile, notantur gradus imperii meri. Primus seu supremus continet poenas mortis naturalis, ut combustionis, rotæ, decapitationis, etc. Secundus complectitur poenam mortis civilis; ut deportationis, hodie banni imperialis. Tertius respicit poenas non capitales, tum corporis afflictivas, tum infamosas; ut amputationis manuum, fustigationis, sistentiæ ad numellas. Engel, tit. de Offic. judicis. n. 17. Christophorus Chlengersperger, lib. I. Collegii Instit. Justinian. tit. 20, quæst. 6, et alii.

23. *Alia jurisdictionis simplicis, et imperii mixti, ac meri, definitio.* — Fateor, quod Glossa in explicatione arboris jurisdictionum ad tit. ff. de Jurisdic. omn. judic. præfixæ, datas jurisdictionis species sub aliis terminis definiat, dicendo: *Jurisdiclio simplex est, quæ officio judicis mercenario expeditur, privatam utilitatem respiciens. Imperium mixtum vero est jurisdictionis, quæ officio judicis nobili exercetur, privatam utilitatem respiciens. Tandem Imperium merum est jurisdictionis, quæ officio nobili judicis, vel per accusationem exercetur, publicam utilitatem respiciens.* Ita Glossa loc. cit. post Bartolum in l. Imperium. ff. de Jurisdic. omn. judic.

24. *Officium nobile, et mercenarium judicis, quod?* — Per *Officium nobile judicis* intelligitur illud, quod non deservit alicui actioni; sed iudex ex se, ac veluti motu proprio, sic suadente æquitate procedit. *Mercenarium vero dicitur, quod deservit actioni intentæ per partem.*

25. *De jure canonico an detur imperium merum?* — Quæritur V. An etiam de jure canonico detur imperium merum? Negat Zoesius, h. t. n. 18, eo quod imperium merum sit, habere jus gladii ad animadvertendum in facinorosos, per dicta, n. 21. Atqui « Sancta Dei Ecclesia gladium non habet, nisi spirituales: non occidit, sed vivificat, » prout loquitur textus in can. *Inter hæc* 33, q. 2; ergo. Oppositum nihilominus est tenendum cum Glossa magna, et Abbate in c. *Quod sedem*. n. 5. de Offic. ordin. et Engel, eod. tit. n. 42, ac aliis. Nam ex eo, quod in Ecclesia non detur primus gradus imperii meri, videlicet potestas gladii, seu inferendi mortem naturalem, male concluditur eam nullatenus habere merum imperium: quia sic argumentando, procederetur a particulari ad universale.

26. *Et quæ ad istud spectent?* — Itaque de jure canonico ad merum imperium spectat

potestas *Gladii spiritualis*, excommunicatio- nis videlicet, quæ poenis capitalibus comparatur; ut c. *Per venerabilem*, § *Sunt autem; Qui filii sint legitimi*. Item potestas degradandi, et tradendi curiæ sæculari juxta Glossam in c. *Quod sedem*. § *Committere*, ante fin. de Offic. ordin.; hoc enim æquiparatur ultimo supplicio, ut notat Innocentius c. *Qualiter et quando* in 2. de Accusationib. Insuper potestas verberibus publice castigandi, ac in exilium deportandi; de qua fit mentio in cap. *Calumniat*. cum concordantiis ibidem a Glossa relatis. Item potestas perpetuis carceribus mancipandi, et hujusmodi.

§ II

DE JUDICI DELEGATO, EJUSQUE DIFFERENTIIS AB ORDINARIO.

27. *Judex delegatus, quis quibusque aliis nominibus appellatur?* — Quæritur I. Quid et quotuplex sit iudex delegatus? Resp. I. *Judex delegatus est, qui non habet jurisdictionem vi proprii officii, sed eam exercet ex beneficio et commissione alterius, cujus vice fungitur. Et talis alio nomine in jure appellatur Judex datus; ut c. Judex*. 5. h. t. in 6. Item *Judex extraordinarius*, ut c. de Cætero 5. de Transact. Item *Commissarius*, ob vices alterius sibi commissas.

28. *Et quomodo differat a vicario?* — Differt autem iudex delegatus a vicario, ac proinde de utroque sub diversis rubricis agitur. Nam per *Vicarium* intelligitur ille, qui gerit vices ordinarii in eodem loco, ac tribunale, in quo consuevit ipse ordinarius sedere; secus accidit in delegato, ut jam dictum tit. præc. § 1. n. 17.

29. *Judex ordinarius, quis?* — Porro *Judex ordinarius* dicitur ille qui potestatem judicandi jure proprio habet; hoc est, ex vi sui officii, ac eo ipso, quod est talis: ut episcopus, præses provinciæ, ac hujusmodi, estque jam dictum supra n. 11, explicando jurisdictionem ordinariam, et delegatam.

30. *Judicum delegatorum variae sunt species.* — Resp. II. *Judicum delegatorum variae sunt species, seu divisiones. Atque imprimis alii sunt delegati ad universitatem causarum, alii ad causam dumtaxat particularem.*

31. *Delegatus ad universitatem causarum, et delegatus ad causam particularem, quis?* — *Delegatus ad universitatem causarum* dicitur ille, cui vel omnes universim causæ,

vel saltem certum genus causarum, v. g. matrimonialium, decimarum, etc. sub uno nomine colectivo committuntur; sive dein illud sit restrictum quoad tempus, puta decem annorum, vel quoad locum, nempe ad causas in tali loco occurrentes, sive non; Bartolus in l. *Legatos*, n. 4, ff. de Offic. proconsul.; Sanchez, lib. III, de Matrim. disp. 31, n. 4; Pirhing, h. t. n. 2 et alii. *Delegatus ad causam particularem* econtra dicitur ille, cui una vel altera tantum causa particularis, hic et nunc emergens, dijudicanda, et terminanda committitur.

32. *Et quæ differentie utriusque?* — Est autem notabilis differentia inter utrumque. Nam delegatus ad universitatem causarum, reputatur quasi ordinarius, juxta dicenda n. 63, non item delegatus ad causam particularem. Deinde delegatus ad universitatem causarum potest subdelegare, non quidem totam suam jurisdictionem, sed unam vel alteram causam: secus est de delegato ad causam particularem, nisi is sit delegatus a supremo principe, c. *Cum causam*, 62, juncta Glossa § *Delegatus, de Appellat.* atque ex professo dicitur infra num. 55, et seqq. Tertio delegatus ad universitatem causarum proprie, ac in rigore juris loquendo, dicitur habere *mandatam jurisdictionem*: alter vero proprie *delegatam*, ut dictum supra § 1, num. 14 et seqq. Tacentur aliæ differentie.

33. *Delegati ab homine, qui?* — Secundo alii sunt delegati ab homine, alii a jure. Priores, seu *Delegati ab homine*, ideo sic dicuntur, quia delegationem suam immediate habent ab homine, seu a iudice, vel magistratu ordinario: ut sunt delegati Papæ, delegati imperatoris, regum, aut aliorum principum, vel magistratum.

34. *Delegati a jure, qui?* — Delegati a jure sunt illi, qui delegatam jurisdictionem habent ex commissione juris communis. Exemplum hujus habetur in c. *Ad abolendam*, § fin. de Heretic., ubi facultas contra exemptos in causa hæresis procedendi datur episcopis, tanquam a Sede Apostolica delegatis. Simile quid habetur in c. *Irrefragabili*. § *Cæterum, de Offic. ordin.* ibi: « Tanquam super hoc delegatus a nobis. » Et Clem. 1, de Supplend. neglig. prælat. ibi: « In exemptis vero Apostolica auctoritate, » et alibi. Id ipsum fit in concilio Tridentino, sess. 5, cap. 1, et sess. 6, cap. 11, de Reform. et alibi sæpius; prout ostendit Barbosa, part. III, de

Offic. et potest. episcop. allegat. 92, num. 4.

35. *Et cur horum jurisdictio sit delegata; non ordinaria?* — Nec dicas: Si talis jurisdictio defertur a jure seu canone, ergo ipsa erit ordinaria, et non delegata, juxta dicta n. 11. Resp. enim cum Barbosa cit. allegat. 92, n. 3 et aliis, neg. sequel. Adhuc enim jurisdictio illa, quæ tribuitur episcopis virtute talis clausulæ, est delegata, non ordinaria, haud obstante, quod a jure communi deferatur: quia videlicet committitur ipsis, non sub ratione officii, sed per modum specialis commissionis, seu delegationis; ut ipsum nomen, « tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, » importat. Id ipsum amplius a sensu contrario desumitur ex c. *Licet in corrigendis*, 12, de Offic. ordin. ibi: « Ab episcopo, non tanquam delegato, sed tanquam ordinario faciendis. »

36. *Clausula: Tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, quid importet?* — Porro clausulæ hujus, *Tanquam Sedis Apostolicæ delegatus*, ille est effectus, quod in eo casu non fiat appellatio ab episcopo ad archiepiscopum, prout alias fieri posset; sed solummodo ad Summum Pontificem, tanquam a delegato ad delegantem. Glossa in d. c. *Licet in corrigendis*, § *Tanquam delegatus, de Offic. ordin.* et alii. Unde, licet in congregationibus, tempore concilii Tridentini ante primi decreti editionem habitis, gravissimi regularium exemptorum motus acciderint; iidem tamen tempestive per hujus clausulæ adjectionem sedati fuere, ut sic negata appellatione ab episcopo ad metropolitanum, non cogerentur religiosi cum præjudicio disciplinæ regularis per judicia forensia multum circumvehi.

37. *Clausula: Etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, quid importet?* — Interdum vero prædictæ clausulæ additur particula *Etiam*, v. g. episcopis concedendo, ut procedere valeant *Etiam tanquam delegati Sedis Apostolicæ*, prout loquitur concilium Trident. sess. 22, cap. x, de Reform. sive, ut sess. 6, c. 11, de Reform. loquitur *Etiam auctoritate Apostolica*. Et tunc particula *etiam*, quæ est augmentativa, et implicativa præcedentium, præter jurisdictionem delegatam simul implicat, et involvit jurisdictionem ordinariam: adeo ut eo casu episcopus duplicem habeat potestatem, unam scilicet ordinariam, et alteram delegatam, quæ ipsi tribuitur a concilio, et accumulatur potestati ordinariæ. Fagnanus in c. *Ad audien-*